NAENIAE in mortem Thomæ Viati equitis incom parabilis.

IOANNE LELANDO ANTIQVARIO. AVTORE.

Londini.
ANNO. M. D. XLII.

IN EFFIGIEM THO-
MAE VIATI.

Holbenus nitida pingendi maximus arte
Effigiem expressit graphicè: sed nullus Apelles
Exprimet ingenium felix animumque Viati.

T.  V.

Aetas Viati.

Syderei peteret cum cœli regna Viatus
Temporalustrorū non dum compleuerat octo.

IOANNIS LELANDI ANTIQVA rij carmen ad HENRICVM HOVARDVM Regnorum comitem iuuenem tum nobiliss. tum doctissimum.

ACcipe Regnorum comes illustrissime carmen,
Quo mea Musa tuum laudauit mœsta Viatum
Non expectato sublatum funere terris.
Nominis ille tui dum vixit magnus amator.
Tu modo non viuum coluisti candidus illum,
Verum etiam vita defunctum carmine tali
Collaudasti, quale suum Chaucerus auitæ
Dulce decus linguæ vel iuste agnosceret esse.
Perge Houarde precor virtute referre Viatum,
Dicerisque tuæ clarissima gloria stirpis.

Clarus fons.

Cæsaris orator Maurentius ostia Falæ
  Fluminis intrauit vela secunda ferens.
Est data ducendi legatum cura Viato,
  Hispanis nullus notior Anglus erat.
Vrbs antiqua tenet regum monumenta duorum
  Clarus fons, sedes pontificum que fuit.
Hic per dispositos properantem currere mannos
  Inuasit Thomam pestis, et atra febris.
Nobilis Horsæus morienti lumina clausit,
  Quem Durotrigum gens colit, ornat, amat.

Aeternum peperit Clarus fons morte Viati
  Nomen, et illuſtris fit magis inde locus.

Officium pietatis.

Sint mœſtę Charites, lubentiæque,
Et triſtes ſileant ſales, lepôreſque.
Extinctus iacet en Viatus ille,
Ille inquam decus vnicum Britannæ
Gentis, cuius ab ore profluebant
Muſarum numeri rotundiores.
Vos cygni pia turba concinentes
Sublimem medio locate cœlo
Veſtrum pro meritis ſuis poetam,
Et famam date candidi perennem.

Coniunctio animorum

Me tibi coniunxit comitem gratiſſima Granta,
  Granta Camœnarum gloria, fama, decus.
Diuidet illa animos mors ingratiſſima noſtros?
  Non faciet: longum chare Viate valę

Comparatio

Qualis erat clypei dominus ſeptemplicis Aiax.
  Qualis et in bello Troicus Hector erat.
Qualis erat curru celeri conuectus Achilles.
  Noſtra quidem talis palma Viatus eques.

Immor-

Immortalis Viatus

Ante suos Titan radios ostendere mundo
Desinet, et nitidas Cynthia pulchra faces.
Desinet ante nouos flores producere tellus
Quam pereat nomen clare Viate tuum.

Delectus amicorum

Candido amicorum numerum dedit aula Viato.
Sed tres præcipuæ selegit amicus amicos.
Excoluit largi Poyningi nobile pectus.
Ingenio Blagi delectabatur acuto.
Doctrinæ titulo gratus Masonius albo.
Hi nunc defunctum lachrimarum flumine lugent,
Tergemina charum resonantes voce Viatum.

Apotheôsis

Inter cœlicolas nuper certamen obortum.
Dissidij vero caussa Viatus erat.
Mars ait est noster iuuenum fortissimus ille.
Phœbus at ingenij flos ait ille meus.
Mercurius virga litem dissoluit, & altis
Intulit exutum corpore syderibus.

Communis dolor

Tristi carmine passerem Catullus
Extinctum queritur parum pudicus,
Deflet Stella suæ vices Columbæ

Vates molliculus, tener, cinædus.
At nos qui colimus seueriora,
Et musas sequimur sacratiores
Lumen iudicij boni Viatum
Abreptum querimur dolore iusto.

Anglus par Italis

Bella suum merito iactet florentia Dantem.
Regia Petrarchæ carmina Roma probet.
His non inferior patrio sermone Viatus
Eloquij secum qui decus omne tulit.

Gemitus turturis.

Aeria turtur gemitus tunc fudit ab vlmo
E medio raperent cum tristia fata Viatum.

Mors victrix.

Tu bellatorum vicisti tela Viate
Nulla manus mortis vincere tela potest.

Vnicus phœnix

Vna dies geminos phœnices non dedit orbi.
Mors erit vnius vita sed alterius.
Rara auis in terris confectus morte Viatus
Houardum heredem scripserat ante suum.

Vita post cineres

Dicere nemo potest rectè perijsse Viatum
Ingenij cuius tot monimenta vigent.

Querela philomelæ.

Tempore non ſolito cecinit Philomela canora
Virtutis caderet cum prima corona Viatus.
Cantrix cantorem merito lugebat ademptum.
Officij memor adſonuit nemus omne canenti.

Mons acutus.

Logueri burgus, quē nomine Montis acuti
Aetas noſtra vocat, dominum, gratumque patronū
Solicitis votis optabat habere Viatum.
Vnde ſuas cœpit paulatim expandere criſtas.
Aſt animis nunc ſpe ſublata concidit omni,
Ingentem totis tectis patiturque ruinam.
Hinc Murotriges crudelia fata vocare
Non ceſſant, ſubito quæ ſubtraxere Viatum.

Cantij deſyderium.

Extinctum perluge tuum generoſa Viatum.
Cantia, quo viuo lumine maior eras.

Vaga fluuius

Nuper clara Vagæ facies: nunc fuſcula nympha
Eſt luteis turbata vadis, dominumque Viatum
Sublatum queritur ſalebroſo murmure triſtis
Quid. quod & infelix lachrimis indulget obortis,
Verberat & curuas violento gurgite ripas.

Alaunodunum

Magnanimus dum vixit Alaunia caſtra Viatus

In pretio stabant: sed nunc tutore remoto
Deponunt animos, & culmina celsa reclinant.

Clades eloquentiæ

Eloquij flumen, lumen, fulmenque Viatus
Concidit, argutum nunc silet omne melos

Lima Viati

Anglica lingua fuit rudis & sine nomine rhythmus:
Nunc limam agnoscit docte Viate tuam.

Nobilitas debet Viato

Nobilitas didicit te præceptore Britanna
Carmina per varios scribere posse modos.

Viatus psaltes

Transtulit in nostram Dauidis carmina linguam,
Et numeros magna reddidit arte pares.
Non morietur opus tersum, spectabile, sacrum.
Clarior hac fama parte Viatus erit.

Elementorum luctus

Non facit officium solitum vis ignea cœli.
Irriguas aer soluitur in lachrimas.
Turbine ventorum montes consurgit in altos
Pontus: terra macram tristitiamque refert.
Caussa quidem iusta est, sensere elementa Viatum
Delicias orbis deperijsse meras

Calcu-

Calculus Cæsaris

Carolus eximias vires laudare Viati
Cæsar,& eloquium est solitus laudare Viati.
Ingenuos mores Cæsar laudare Viati,
Ingeniumque probum solitus laudare Viati.
Cæsaris vnius multorum calculus instar.

Prosopographia

Si quis in hac nostra non vidit gente Viatum
Hæc legat, atque viri formam sibi colligat omnem.
Corpore procerum finxit natura Viatum,
Eius & inuictis neruos dedit illa lacertis.
Addidit hinc faciem, qua non formosior altra.
Læta serenatæ subfixit lumina fronti,
Lumina fulgenteis radijs imitantia stellas.
Cæsariem iuueni subflauam contulit: inde
Defluxit sensim crinis, caluumque reliquit.
Sylua sed excreuit promissæ densula barbæ.
Quisquis erit posthac syncerus cultor honesti
Laudibus emeritis felicem tollat ad astra
Nobile solertis naturæ plasma Viatum.

Viatus aquila

Summa petit magni Iouis ales & ardua tentat.
Talis naturæ dote Viatus erat.

Viatus ornamentum patriæ.

Cedrinæ decori sunt celsis montibus vmbræ,
Malaque solicite paradiso punica culto.
Sunt teretes decori fœcundis vitibus vuæ.
Purpureæque rosæ, violæque nitentibus hortis.
Ingenuis decori cunctis patriæque Viatus
Viuus erat, patriæ mortuus ille decus.

Corona Viati.

Castalij fontis cum margine forte sederent
Ex hedera Musæ nuper texere corollam,
Auro pingentes solito de more corymbos.
Circulus & postquam iustum coijsset in orbem
Quæstio Cyrrheas est inter oborta sorores
Festa poetarum quis tandem præmia ferret.
Virginei quæ prima chori sic ora resoluit
Calliope: docto sunt munera digna Viato.
Dixerat, & placuit reliquis sententia nymphis.
Atrapos has illi laudes inuidit acerba,
Infestaque manu vitalia stamina rupit.
Confectum Musæ crudeli vulnere mystam
Eluxere suum lachrimis, gemitusque dedere
Talia dicentes: potuit mors tollere corpus
Viuet at ingenium nostri sine fine Viati.

Nobilitas animi.

Intumuit nunquam fortunæ dotibus amplis.

Nec se felicem duxit splendore Viatus
Aulæ, nec strepitu rerum, procerumue fauore.
Rectius ille animum studijs cordatus auebat
Exornare bonis, cœloque reponere curam.
Nobilitas hęc est animi verissima magni.
Est hic thesaurus longe pretiosior auro
Nomine quo mundo distractus in æthere viuit.
Quid iuuat immenso nunc indulgere dolori,
Aut desyderio rapti languere Viati?
Curemus potius studijs imitarier illum
Sanctis, inque viros forteis euadere. Tandem
Sic nos efficiet quoque gloria vera Viatos

Annulus Viati.

Annulus in digito solitus radiare Viati
Fabre factus erat, gemmaque superbus ąchate,
Cæsaris effigies in qua verissima Iuli
Sculpta, occludendis signum spectabile chartis.
Cæsaris ad summam virtutem calcar imago
Ingenitas auxit vires animosque Viati.

Epitaphium

Vrna tenet cineres ter magni parua Viati,
Fama per immensas sed volat alta plagas.

LONDINI.
Ad signum æneí Serpentis.